RESPONSVM THEOLOGICVM.

PRO
Illuſt.mo & Excell.mo D. D. Franciſco Maria Sfortia Vicecomite Marchione Carauaggi, &c.

1 NOVAM planè aggredimur quæſtionem; nam quamuis olim agitatum ſæpe fuerit, an Equites Hieroſolymitani ſuccederent in feudis; nunquam tamen auditum eſt illis opponi votum ſolemne paupertatis religioſæ, ratione cuius reddantur incapaces feudi ex propria perſona. Quia vero Perilluſtris D. Regius Fiſcalis pro ſui ingenij acumine nouum hoc motiuum excitauit, ideo oportet illi reſpondere. Et quidem videri poterat abundè ſatisfactum exemplo Equitum S. Iacobi Alcantaræ &c. & Scholaſticorum Soc. Ieſ. qui quamuis Religioſi, ſunt capaces dominij ex propria perſona. Verum adhuc Fiſcus non aquieſcit, nam quoad Equites S. Iacobi &c. aſſerit illos non eſſe vere Religioſos; quoad Scholaſticos vero Societatis, cum non poſſit negare eſſe proprie Religioſos, dicit interuenire diſparitatem, quia Scholaſtici Societatis emittunt vota ſolum ſimplicia, non vero ſolemnia, qualia emittuntur ab Equitibus Melitenſibus. Vt ergo penitus ſatisfiat motiuo contrario, oſtendam.

Primo, poſſe inſtitui Religionem cum votis ſolemnibus paupertatis &c. cuius profeſſi capaces ſint feudi ex propria perſona.

Secundo, talem de facto eſſe Religionem Equitum S. Ioannis.

2 Atq; vt incipiamus à primo videndum eſt, an votum ſolemne paupertatis reddat profeſſum inhabilem ad dominia ex iure naturali, an ſolum ex iure Eccleſiaſtico. Et quia eadem eſt ratio de voto ſolemni paupertatis in ordine ad dominium, ac de voto ſolemni Caſtitatis in ordine ad coniugium: imo frequentius agitatur hæc quæſtio circa votum caſtitatis, ideo ſumenda eſt reſolutio quæſtionis etiam ex ijs, quæ dicuntur circa votum ſolemne caſtitatis; ſunt autem duæ ſententiæ præcipuè.

3 Prima aſſerit hoc fieri ex iure naturali. Ita ſotus lib. 3. de Iuſt. q. 2. art. 5. & alij relati à Sanchez. de matrim. lib. 7. diſp. 26. quorum tamen plurimi non ſunt audiendi, cum falſo nitantur fundamento, nempe ipſam ſolemnitatem voti eſſe de iure naturali contra receptiſſimam Canoniſtarum, & Theologorum ſententiam, & quod magis eſt, contra apertam declarationem Bonifacij VIII. C. vnico de voto in 6. & Gregorij XIII. in Extrauag. Aſcendente Domino, in quibus ita clare dicitur *ſolemnitatem voti eſſe ex ſola Eccleſia conſtitutione*, vt ſine magna temeritate non poſſet negari.

4 Præcipua ratio huius opinionis eſt, quia per vota ſolemnia Religioſus tradit ſe totum Deo, ſiue Religioni acceptanti nomine Dei, ac proinde transfert in Religionem omne ſuum ius tam circa corpus, quam circa bona externa; ergo iure naturali redditur inhabilis ad coniugium, & dominium.

5 Secunda ſententia tenet hoc fieri ſolum iure Eccleſiaſtico. Ita pluſquam quadraginta Auctores, quos affert, & ſequitur Sanchez. ibidem, & lib. 7. in Decalog. cap. 1. vbi teſtatur de veriſſima, Baſilius Pontius variar. quæſt. 3. Scholaſtica. & late lib. 7. de matrim. Rebellius de obligationibus fol. 320. Gordonius Theol. Mor. lib. 6. q. 5. c. 8. Layman. de matri. p. 4. c. 3. Hurtadus de matri. diſp. 13. deff. vnica, Petrus Ribadeniera, Suarez, Vaſquez, Leſſius,

Malde-

Malderus, Caſtro Palao infra adducendi, & non magis purpura, quam doctrinæ præſtantia Eminentiſs. Cardinalis de Lugo olim Magiſter meus tom. 1. de Iuſt. & iure d. diſp. 3. num. 75.

6 Quamuis autem pro hac ſententia plures afferantur rationes, illa tamen eſt potiſſima, vnde etiam ſoluitur fundamentum contrariæ, nempe quod non magis ſe totum tradit Deo, ſiue Religioni acceptanti Profeſſus per vota ſolemnia, quam quilibet alius Religioſus non Profeſſus v. g. Scholaſticus Soc. Ieſ. per vota ſimplicia, & tamen hic non transfert in Religionem omne ſuum ius circa corpus, & bona externa, nec redditur inhabilis ad dominia, ſed illa de facto retinet, imo nec ante conſtitutionem Greg. XIII. erat inhabilis ad coniugium, è contra vero coadiutores formati eiuſdem Societatis licet emittant vota ſimplicia redduntur inhabiles ad dominia, & coniugia ex ſola vi eiuſdem conſtitutionis, quæ omnia latè docet Suarez præſertim tom. 4. de Religione Pontius, Sanchez l. c. alijq; communiter ergo ex ſola lege Eccleſiaſtica votum ſolemne reddit Profeſſum inhabilem ad dominia &c.

7 Suppoſita hac ſecunda ſententia, quæ ſine dubio, vt minimum eſt certior, quam oppoſita, videtur clare deduci, poſſe ab Eccleſia inſtitui Religionem cum voto ſolemni paupertatis abſq; eo quod profeſſus reddatur inhabilis ad dominia. Eadem enim Eccleſia, quæ ſua lege adiunxit votis ſolemnibus hanc inhabilitatem, poteſt illam tollere reuocando legem.

8 Verum, vt ingenue fatear, adhuc ſuppereſt aliquis ſcrupulus, qui potuiſſet diſſimulari, niſi ageremus cum doctiſſimo D. Fiſcali omnia intime penetrante. Dicet enim fortaſſe quiſpiam, poſſe quidem Eccleſiam tollere à voto ſolemni inhabilitatem ad dominia &c. tollendo ſimul ipſam ſolemnitatem voti, & illud reddendo ex ſolemni ſimplex; non tamen poſſe hoc facere ſalua remanente voti ſolemnitate; quia ſolemnitas voti Religioſi includit eſſentialiter inhabilitatem ad actus voto oppoſitos, vt docet Caietanus 2. 2. q. 88. art. 7. Suarez. Tom. 3. de Relig. fol. 114. & ſequ. quibus addi poteſt Pontius de matr. fol. 342.

9 Præter iſtos tres Auctores nullum inueni, qui aperte afferat inhabilitatem eſſe partem ſolemnitatis voti, vel de eius eſſentia; nam ex paucis illis citatis à Suarez, & Pontio nonnulli clare tenent contrarium, alij obſcure loquuntur, & potius fauent opinioni mox adducendæ, dum aiunt inhabilitatem eſſe effectum Iure Eccleſiaſtico adiunctum ſolemnitati.

10 Fundamentum Suarij (Caietanus enim, & Pontius nullam ſui dicti afferunt rationem) eſt quia ſecluſa inhabilitate ad actus voto oppoſitos, nihil habet votum ſolemne, quod non inueniatur in ſimplici.

Sed tenendum omnino eſt, inhabilitatem non eſſe de eſſentia ſolemnitatis, vel eius partem, ſed ſolum ex Iure poſitiuo adnexam voto ſolemni, & ab illo ſeparabilem ſalua ſolemnitate voti. Ita tenet Vaſquez Pri. 2. Diſp. 165. c. 8. nu. 31. vbi ſic habet: *Hæc inhabilitas non eſt ipſa ſolemnitas voti, neq; ad eſſentiam ſolemnitatis pertinet, ſed eſt effectus quidam Iure Poſitiuo adnexus ſolemnitati, ſine quo votum vere ſolemne manere poſſet.* Et cap. 6. nu. 55. probans antiquos Religioſos emiſiſſe vota ſolemnia ait: *Quod enim votum non redderet inhabilem vouentem ad rerum dominia nihil obſtare potuit, quo minus ſolemne eſſet, hoc namq; non pertinet ad naturam ſolemnitatis, ſed eſt effectus ei adnexus ex Iure poſitiuo*, quod etiam repetit nu. 92. Sanchez lib. 4. in Decal. c. pri. num. 13. & lib. 7. de Matri. Diſp. 26. nu. 2. loquens de voto ſolemni caſtitatis. *Manente eadem prorſus voti ſolemnitate poſſet Eccleſia ſtatuere ne dirimat Matrimonium ſubſequens.* Medina lib. 4. de Sacr. Hom. Continen. contr. 7. c. 24. docens *poſſe votum eſſe ſolemne, & non irritare Matrimonium poſtea contractum.* Filliuccius tom. 2. Moral. quæſt. tract. x. num. 119. *Poteſt Eccleſia ſtatuere ne dirimat Matrimonium, quia tantum effectus quidam voti ſolemnis impediretur remanente eſſentia, & ſolemnitate in ſuo ſtatu.* Malderus Epiſc. Antuerpienſis 2. 2. tract. x. c. 5. dub. 3. *In hac ſententia*, quam ipſe, vt probabiliorem ſequitur

votum

votum ſolemne profeſſionis Monaſticæ per ſe non impedit nuptias carnales, ſed tantum ratione adiunctæ legis, vt fit in crimine impediente coniugium, & ſimilibus. Addit ibidem pernullum votum, quantumuis ſolemne dirimi ſequens matrimonium, niſi accedat lex Eccleſiaſtica, quod deinde applicat ad votum ſolemne paupertatis. Imo aliquid plus docet hic Auctor, nempe quamuis admitteremus ſolemnitatem voti eſſe de iure diuino, adhuc non debere negari, quod ab illa, *poſſet auctoritate Pontificis tolli impedimentum matrimoij non tantum in particulari per diſpenſationem, ſed etiam generatim per legem.* Azor. lib. 12. Inſtitut. moral. c, 6. q. 3. *Cum ſolemni voto caſtitatis per ſe non pugnat, vt ſi vir, & fæmina ſe mutuo coniungant matrimonium valeat,* & rurſus, *remota Eccleſiæ conſtitutione vir, & fæmina voto ſolemni caſtitatis adſtricti eſſent ad matrimonium habiles,* quam doctrinam q. 4. extendit ad votum ſolemne paupertatis in ordine ad Dominium. Cumq; ſibi obieciſſet, quod ſi Eccleſia tolleret à votis ſolemnibus hanc inhabilitatem, *iam non eſſent ſolemnia,* reſpondet, quod *ſolum impediretur effectus, nihil tamen amitterent eorum, quæ nunc habent.* Meratius de matri. diſp. 8. ſect. 3. & ſequ. aſſerens, *ſtante voto ſolemni Religionis ſtare ſimul validum matrimonium;* quod probat, *quia multis ſeculis valida erant coniugia eorum, qui ſolemni caſtitatis voto ſe obſtrinxerant.*

11 Eandem ſententiam ſequitur. Leſſius lib. 2. de virt. Card. num. 141. Petrus Ribadeniera de inſtit. Soc. Ieſ. c. 17. & 19. Ferdinandus de Caſtro Palao tom. 3. tract. 16. p. 1. num. 6. Layman l. c. vbi etiam affert congruentiam, propterquam Eccleſia adiunxerit votis ſolemnibus hanc inhabilitatẽ, Card. de Lugo l. c. docens votum ſolemne non ex ſua natura, ſed ſolum ex lege afferre incapacitatem. Poſſem plures recenſere, ex quorum doctrina idem deducitur, ſed ſufficiant iſti, qui expreſſe, & in terminis, vt dicitur terminantibus hoc docent.

12 Quod ſi quæramus ab his Auctoribus, per quid diſtinguatur votum ſolemne à ſimplici, ſi non diſtinguitur per inhabilitatem, cum enim vtrumq; votum reddat illicitos actus ipſi voto appoſitos, non videtur vnum poſſe diſtingui ab alio, niſi quia votum ſolemne reddit tales actus non ſolum illicitos, ſed etiam inualidos, votum vero ſimplex reddat illos tantum illicitos; facilè reſpondent in hoc diſtingui, quod votum ſolemne habet completam perpetuitatem, tum ex parte ſubditi vouentis, tum ex parte ſuperioris acceptantis, votum autem ſimplex non habet completam perpetuitatem. Nam quamuis ſit perpetuum ex parte ſubditi vouentis, qui non poteſt pro ſuo libito reſilire, non eſt tamen perpetuum ex parte ſuperioris acceptantis, qui poteſt quoties expediens iudicauerit, dimittere ſubditum etiam ſine vlla ipſius culpa, & omnino liberare à votis.

13 Hanc doctrinam clare indicauit Greg. XIII. in d. extrau. vbi non negat vota emiſſa à Scholaſticis, & Coadiutoribus formatis Soc. Ieſ. eſſe ſolemnia, quia non inhabilitant ad actus oppoſitos, cum potius declaret illos inhabiles, vel ad coniugia ſolum, vel ad coniugia ſimul, & Dominia, ſed quia non emittuntur, neq; acceptantur, vt ſolemnia, cum ſuperior poſſit dimittere ſubditum liberum ab illis. Idem ex verbis Bonifacij VIII. c. vnico de voto colligit Sanchez l. c. & Vaſquez num. 82. vbi efficaciter oſtendit de mente Pontificis ſolemnitatem voti non eſſe ſitam in Inhabilitate; quare non debuit hic textus adduci à Suarez pro ſua ſententia. Subdit Sanchez ibidem, quod quamuis nullus eſſet textus expreſſe definiens ſolemnitatem conſiſtere in perpetuitate completa; *ſufficit ipſa Eccleſiæ traditio, quæ nunquam hactenus nomen voti ſolemnis tribuit niſi voto vtraq; ex parte perpetuo.*

14 Et ſane, vel ideo hæc ſententia eſt admittenda, quod illa admiſſa multa facilè ſaluantur, quæ nullo modo, vel ſaltem valde difficile explicari poſſunt, ſi dicamus de eſſentia voti ſolemnis eſſe inhabilitatem.

Primo enim patet quomodo Equites S. Iacobi, Alcantaræ &c. quos conſtat nubere, & retinere Dominia, ſint vere Religioſi, & ſolemniter profeſſi; quia

eorum vota habent completam perpetuitatem, cum non poſſit Magiſter dimittere eos liberos à votis. Et quamuis aliqui negent iſtos Equites eſſe vere Religioſos, longe tamen plures affirmant. Nam præter ſexdecim alios Auctores relatos à Ioanne Sancio in Selectis Diſp. 49. nu. xj. inter quos Ramirez Tract. de fundationis ordinis S. Iacobi ait, hoc non poſſe ſine temeritatis nota negari, eo quod ita declarauerit Innocentius III. Idem docet Caſtro Palao l. c. Suarez Tom. 4. de Rel. fol. 3081. Duardus lib. 2. can. 15. quæſt. 5. Amaia in Cod. lib. 10. tit. 39. Machin. in Reſol. pro iur. ord. mil. art. 2. nu. 7. Sperellus dec. 2. nu. 58. Diana alibi ſæpe, & P. 6. tract. 8. reſol. 17. & apud ipſum Ferd. Pizzarus, Hieronymus de Cenedo Michael Caranza, vt propterea Pontius de Matr. l. 9. c. 7. num. 6. aſſerat *Eos eſſe vere, & ſubſtantialiter Religioſos, adeo certum exiſtimo, vt oppoſitum iudicem nimis licentioſè dictum, ne dicam grauius.*

Secundo eadem ratione patet, quomodo in Eccleſia Dei ſemper fuerint veri Religioſi Profeſſi cum votis ſolemnibus nempe ex vtraq; parte perpetuis; quamuis olim Monachi eſſent habiles ad Coniugia, & retinerent dominium ſuorum bonorum, quod latè probant Suarez, Vaſquez, Pontius, Azor, Ribadeneira l. c. & adnotarunt eruditiores interpretes Iuris Cæſarei, & Pontificij. Vnde poſtea hæretici noſtri temporis deſumpſerunt occaſionem calumniandi ſtatum Religioſum, & ſolemnem Profeſſionem, quaſi nouum inuentum.

Tertio eodem pacto patet quomodo non ſolum votum Caſtitatis, & Paupertatis, ſed etiam obedientiæ ſit ſolemne imo & votum Quadrageſimalis abſtinentiæ in Religione Minimorum, votum peculiaris obedientiæ erga Pontificem in Soc. Ieſ. aliaq; ſimilia vota, quæ vel de facto ſunt, vel poſſunt eſſe ſolemnia, vt docet Malderus, Azor l. c. alijq; communiter. Nam quemadmodum bene argumentatur Sanchez ibidem, plura ex huiuſmodi votis nullam afferre poſſunt inhabilitatem ad actus oppoſitos, ac proinde nec poſſunt eſſe ſolemnia, ſi inhabilitas eſt de eſſentia ſolemnitatis, poſſunt autem, ſi dicatur ſolemnitas conſiſtere in perpetuitate completa.

15 Cum igitur hæc opinio, & optimo nitatur fundamento, & plures, grauioreſq; habeat Auctores, & facilem viam ſternat ad ſoluendas multas difficultates, atq; ad obſtruenda ora hæreticorum, non video quomodo poſſit ab illa recedi præſertim in iudicando; imo nec Aſſertores contrariæ opinionis poſſunt negare perpetuitatem ex vtraq; parte ſufficere ad ſolemnitatem ſaltem non omnino perfectam. Ita Pontius lib. 7. l. c. vbi ait, *Si Pontifex auferret à Prælato facultatem dimittendi, & eſſet acceptatio perpetua ex parte Præſulis, non tamen redderet inhabiles ad coniugia, & Dominia, id Inſtitutum haberet aliquid ſolemnitatis*. Suarez tom. 4. fol. 312. *Aduerto tamen licet hoc votum non habeat ſolemnitatem quoad prædictos effectus* (nempe inhabilitandi) *nihilominus participare aliquid de voti ſolemnitate quoad perpetuitatem abſolutam, propter quod à Nauarro, & alijs Auctoribus vota horum Religioſorum* (nempe Equitum) *ſolent appellari ſolemnia*. Et tom. 3. fol. 131. definiens Profeſſionem rigoroſam, ſiue ſolemnem ait eſſe illam, *qua fit cum vinculo ex vtraq; parte indiſſolubili*. Diana p. 2. T. 2. Reſol. 30. oſtendens, cur votum caſtitatis emiſſum ab Equite S. Iacobi &c. non dirimat Matrimonium *Non quod* (inquit) *votum ſolemne non ſit, ſed quia Pontifex iminuit ſolemnitatem eius quoad hoc*.

16 Verum ex abundanti dato, & non conceſſo quod ſolemnitas voti poſita eſſet in inhabilitate, adhuc videndum ſupereſt, quouſq; ſe extendat hæc inhabilitas. Cum enim actus oppoſiti votis ſolemnibus ſint innumeri, poterit votum ſolemne reddere Profeſſum inhabilem ad vnum, vel plures actus, non tamen ad omnes. Etenim vt bene aduertit Pontius l. c. *Solemnitas iſta non conſiſtit in indiuiſibili, ſed ſuſcipit magis, & minus, ac proinde poteſt variari ab Eccleſia, à qua eſt inducta, & inſtitui à Pontifice magna diuerſitas Religionum, vt ſi redderet inhabiles ad coniugia, non ad Dominia, vel è contra*. Quod latius deinde proſequitur

quitur

quitur exemplificando in Religionibus nunc exiſtentibus. Leſſius l. c. *Eccleſia poteſt plura, vel pauciora ad Profeſſionem requirere, plures, vel pauciores effectus illi dare*. Nauarrus conſil. xj. de Regularibus vbi ait. *Quod ſicut ſolemnitas voti eſt ex Inſtitutione Eccleſiæ, ita ex eiuſdem Inſtitutione pendet, quod requiratur votum integræ caſtitatis, vel partialis ſufficiat*, & conſ. 23. *Cum ſolemnitas voti ſit Iure humano inducta poteſt minui, vel augeri*.

17 Idem tenet Couarruuias 4. Decret. Part. 2. c. 3. §. pri. docens, quod quamuis ſint de eſſentia Religionis Paupertas, & caſtitas, at poſſunt hæc eſſe limitata manente Religionis eſſentia, loquitur autem clare de Paupertate, & caſtitate obligata per votum ſolemne, cum agat de Profeſſione Religioſa. Quinimo hinc probat, quod ſi Profeſſio fiat ſub conditione retinendi omnino proprium etiam inuito ſuperiore Profeſſio erit inualida; eo quod conditio repugnet ſubſtantiæ Religionis. At ſi conditio eſſet de paupertate limitata v. g. *dummodo retineam domum, vt propriam*, valeret Profeſſio, quia talis conditio non eſt contra ſubſtantiam voti ſolemnis, imo nec reyceretur hæc conditio, niſi repugnaret Profeſſioni illius Religionis, in qua emittitur. Quare aperte tenet hic auctor poſſe dari votum ſolemne Paupertatis cum aliquo dominio Profeſſi; alioqui omnis Profeſſio ſub conditione dominij limitati eſſet inualida, vel ſaltem ſemper reijceretur ipſa conditio.

18 Conſentit Suarez tom. 3. de Relig. fol. 3xj. *Non eſt de ratione ſtatus Religioſi, vt totam paupertatem profiteatur, alioqui vix vlla eſſet Religio*; quod alibi ſæpe repetit, illud inculcans *non eſſe determinatum gradum paupertatis Religioſæ*. Certum eſt autem Suarez ibi loqui de voto ſolemni, cum non tractet de Soc. Ieſ. in qua ſola de facto dantur Religioſi ſine votis ſolemnibus. Quin etiam idem tom. 3. fol. 415. aſſerit probabile eſſe aliquando ſtatum Religioſum conſtitiſſe in aliquibus cum paupertate, quæ nec dominium, nec vſum independentem excluderet, ſed tantum vſum rerum ſuperfluum. Plura ibi videri poſſunt de vario genere paupertatis apud antiquos Religioſos.

19 Et profecto ſi conſideremus id, quod ante oculos poſitum eſt, magnam inueniemus diuerſitatem in voto ſolemni quoad inhabilitandos actus oppoſitos. Etenim votum ſolemne caſtitatis adiunctũ ordini Sacro dirimit ſubſequens matrimonium, non vero diſſoluit contractum, quod etiam de voto caſtitatis emiſſo ab Equite Melitenſi tradit Soto, Medina, & Sarmiento. Idem autem votum emiſſum in Profeſſione Religioſa dirimit etiam matrimonium ratum. Addit Suarez tom. 4. fol. 485. cum Maldero l. c. poſſe fieri, vt votum caſtitatis Religioſæ dirimat matrimonium ratum, non vero irritet contrahendum, & tom. 3. fol. 609. docet poſſe votum ſolemne caſtitatis inhabilitare ad ſecundum matrimonium, non vero ad primum, vel ad matrimonium cum alijs fæminis, non autem cum vna determinata.

20 Multo magis cernitur hæc diuerſitas in voto ſolemni paupertatis, quæ maiorem habet latitudinem, & ad plura ſe extendit. Tale enim votum in aliquibus Religionibus, vt Franciſcana reddit profeſſos innabiles ad habendum etiam in communi quodcumq; dominium, in alijs, vt in Soc. Ieſ. profeſſa ſolum ad habendum in communi redditus, & bona immobilia, non vero propriam habitationem, & res ad victum neceſſarias; in alijs præter dominium habitationis, & rerum ad victum neceſſariarum permittit redditus pro fabrica, vel Sacriſtia, non tamen pro ſuſtentatione Religioſorum, in alij deniq; concedit etiam redditus pro ſuſtentatione, quod à Concilio Trid. conceſſum fuit omnibus Religionibus præterquam Capuccinis, & Franciſcanis ſtrictioris obſeruantiæ. Recte autem aduertit Sanchez lib. 6. in decalog. cap. 18. num. 14. hanc conceſſionem non fuiſſe priuilegium, aut diſpenſationem, ſed legem generalem, per quam à voto ſolemni ablata eſt illa inhabilitas ad dominium, quam prius afferebat; vnde colligit, quod quamuis Soc. Ieſ. renuntiauerit huic conceſſioni, non tamen potuit fieri inhabilis ad habendos redditus, niſi acceſſiſſet conſenſus Pontificis à cuius ſola auctoritate

pendet, quod votum ſolemne afferat quamcunq; inhabilitatem.

21 Cum igitur videamus inhabilitatem ad dominia eſſe ex ſtatuto Eccleſiæ tam variam in varijs Profeſſis, cur eodem modo non poterit ab Eccleſia fieri, vt aliquis ſolemniter Profeſſus ſit capax ex perſona propria ſi non cuiuſcunq; dominij abſoluti, ſaltem alicuius dominij imperfecti, & limitati, quale eſt feudum, ſi præſertim hoc ipſum magis limitetur v. g. vt non poſſit acquiri, nec retineri ſine licentia ſuperioris.

22 Vidit hoc optime Suarez, qui cum ſolemnitatem voti paupertatis ſtatuiſſet in incapacitate profeſſi ad dominia poſtea limitat, & declarat ſuam doctrinam; nam tom. 4. de Relig. fol. 3xj. agens de ordinibus Militaribus, quos ipſe probat eſſe veras, & proprias Religiones, oſtendit quomodo non obſtante voto ſolemni paupertatis, poſſint retinere dominium ſuorum bonorum. *Quia* inquit *non habent dominium omnino liberum quoad omnem vſum, ſed dependentem à volantate, & licentia ſuperioris*, tenet ergo Suarez non repugnare cum voto paupertatis in ſolemni profeſſione emiſſo aliquod dominium limitatum, atq; ita tenet, vt ibidem fol. 309. col. 2. dicat *De hoc nulla profectò poteſt eſſe ratio dubitandi*.

23 Similem doctrinam repetit tom. 3. fol. 422. vbi cum propoſuiſſet caſum infrà adducendum, in quo videtur profeſſus etiam clauſtralis retinere dominium; poſt datam vnam ſolutionem ſubdit: *Deinde dicitur aliquibus Iuriſperitis non videri inconueniens Religioſum profeſſum retinere dominium ad breue tempus, vt videre licet in Baldo c. cum cauſa de re iudicata verſic. Quæro nunquid, & Felyno, ac Decio c. in præſentia de probationibus, quod ſi verum eſt, eſt optimum ſignum illam incapacitatem non eſſe ex natura rei, ſed ex Iure poſitiuo, quod potuit aliquem caſum ſimilem excipere, de qua poteſtate ego non dubito*. Quæ poſtrema verba ſunt valde notanda, iam enim bis repetit tamquam indubitatum, quidquid ſit de facto, poſſe ab Eccleſia ſtatui, vt Religioſus profeſſus etiam ordinis clauſtralis, nedum Militaris, retineat aliquod dominium limitatum, vel ratione temporis, vel alio modo.

24 Addo etiam de facto profeſſum clauſtralem retinere aliquod dominium, vel aliquod ius æquiualens dominio; nam in primis quilibet profeſſus dummodo non incorrigibilis poteſt agere nomine proprio contra Monaſterium pro ſuis alimentis, & habitatione. Gordonius Theol. Mor. l. 3. q. 2. c. 5. nu. 14. alijq; communiter. Tantum igitur abeſt quod Religioſus per ſolemnem profeſſionem transferat in Religionem omne ſuum Ius; vt potius inde acquirat aliquod ius aduerſus ipſam Religionem, quod tamen non acquirit ſcholaſticus Soc. Ieſ. licet ſit capax dominij.

Deinde licet concedamus Equites S. Iacobi, & ſimiles non eſſe vere Religioſos, nullus tamen audebit negare, quod Clerici, & Monachi vniti iſtis ordinibus ſint vere, & proprie Religioſi ſolemniter profeſſi, & tamen in aliquibus caſibus, & cum quibusdam limitationibus poſſunt teſtari, id enim conceſſit illis Clemens VII. & ita docet cum alijs Sanchez in Decal. lib. 7. c. 8. nu. 37. Pontius de Matr. l. c. Teſtari autem ſi præſertim fiat non ex peculiari diſpenſatione, ſed ex lege generali id concedente, eſt actus dominij, & ſupponit perſonam dominij capacem, vt docent Communiter Iuriſperiti.

25 Deniq; C. ſi qua mulier 19. q. 3. decernitur ſi perſona habens liberos profeſſa fuerit antequam de ſua ſubſtantia diſponeret, poſſe poſtea illam inter filios diſtribuere ſub certa moderatione, quæ conſtitutio licet Imperatoria approbata tamen à Pontifice extenditur Communiter à Iuriſperitis, vt profeſſus poſſit ex illis bonis inſtituere Maioratum, meliorare &c. ſeruatis legibus.

26 Et quamuis aliqui Doctores cenſeant talem diſtributionem non eſſe Teſtamentum, ſed meram diuiſionem, nec fieri à profeſso vt Domino, ſed vt adminiſtratore, plures tamen cenſent oppoſitum, cum præſertim non poſſit aſſignari apud quem maneat hæreditas illo tempore intermedio inter profeſſionem, & diſtributionem. Verum dato quod talis diſtributio non eſset Teſtamen-

tum, ſed libera quædam diſpoſitio, adhuc vrget vis argumenti. Nam votum ſolemne paupertatis habet vim inhabilitandi non ſolum ad dominium, ſed etiam ad liberam diſpoſitionem independentem à licentia ſuperioris, & tamen in hoc caſu, quem Nauarrus appellat mirabilem, limitata eſt eius vis, vt non inhabilitet ad liberam diſpoſitionem, atq; independentem à licentia Prælati; ergo etiam poteſt limitari, vt non inhabilitet ad aliquod dominium præſertim imperfectum. Magis enim repugnat paupertati Religioſæ libera diſpoſitio, quam dominium, cum poſſit ſtare hæc paupertas ſimul cum dominio omnium, non autem cum libera omnium diſpoſitione.

27 Merito igitur Suarez tom. 3. de Relig. fol. 465. iterum examinans hunc caſum ait: *Votum paupertatis non reddit perſonam inhabilem ad dominium, & ipſo facto tollit illud, niſi in virtute Iuris Humani, cum ergo ius adhibeat hanc limitationem facile potuit ſuſpendere incapacitatem pro illo tempore, & in illo permittere dominium limitatum*, quam doctrinam optimam dicit Caſtro Palao tract. 16. diſp. 3. punct. 13. nu. 3. Vtor autem libenter teſtimonio Suarez tum propter tanti Doctoris auctoritatem, tum quia exactiſſime tractauit hanc materiam, tum deniq; quia ipſe eſt præcipuus propugnator ſententiæ aſſerentis ſolemnitatem voti paupertatis conſiſtere in inhabilitate ad dominia; quare qui vult ſequi hanc ſententiam Suarij debet etiam amplecti eius limitationes, & iuxta illas intelligere eius dicta, nam vt pluribus cumulatis firmat Paſqualigus dec. xj. in ſequendo aliquo auctore potius ſunt attendendæ limitationes, quam doctrina generaliter tradita.

28 Ex omnibus hucuſq; probatis conficitur ratio mea quidem opinione efficaciſſima; nam aut ſequimur opinionem probabiliorem Vaſquez, & cæterorum aſſerentium inhabilitatem ad dominia non eſſe de eſſentia voti ſolemnis paupertatis, ſed effectum iure poſitiuo adiunctum, & eodem iure ſeparabilem ſalua remanente voti ſolemnitate, & tunc ſine dubio tenendum eſt cum voto ſolemni paupertatis poſſe ſtare quodcunq; dominium, dũmodo vſus ſit ſemper dependens à licentia Prælati; aut ſequimur ſententiam Suarij aſſerentis de eſſentia voti ſolemnis paupertatis eſſe inhabilitatem ad dominia, & tunc cum hęc inhabilitas habeat latitudinẽ adhuc poterit ſtare ſolemnitas voti paupertatis cum aliquo dominio limitato, ac proinde poterit profeſſus eſſe capax ſuccedendi in feudo ex propria perſona, quouſq; enim nõ oſtendatur euidens repugnantia, ſemper poſſeſſio ſtat pro Eccleſia, quæ ſicuti inſtituit iſtam ſolemnitatem, ſiue inhabilitatem, ita poteſt illam ampliare, vel reſtringere.

29 Supereſt vt breuiter reſpondeamus ad ea, quæ poſſent obijci. Primo ergo dicitur dominium repugnare cum paupertate Religioſa, & eius eſſentiam deſtruere. Verum, ſi nihil aliud addatur, hoc eſt pluſquam aperte falſum; Iam enim definiuit Greg. XIII. in Extrau. Aſcendente Domino, Scholaſticos Soc. Ieſ. quamuis retineant dominium ſuorũm bonorum eſſe vere, & proprie Religioſos non aliter, quam profeſſos eiuſdem Societatis, & aliarum Religionum inflicto etiam anathemate, alijſq; penis in illos, qui contrarium aſſererent; huic autem definitioni è diametro opponitur, qui dicit dominim repugnare paupertati Religioſæ, eiuſq; eſſentiã deſtruere. Videatur Vaſquez, Pontius, Sanchez, alijq; l. c. docentes poſſe inſtitui Religionem, in qua omnes Religioſi ſint capaces cuiuſcunq; dominij. Quare exiſtimo, qui vtuntur hoc argumento, niſi errare velint, debere ſe explicare, quod loquantur non de quacunq; vera paupertate religioſa, ſed ſolum de paupertate ſolemnizata, ſiue promiſſa per votum ſolemne; ſed ſi hoc modo intelligant, afferunt pro ratione id, quod eſt in quæſtione. Dubitatur enim an dominium ſaltem limitatum repugnet voto ſolemni paupertatis, nos probauimus non repugnare, tum auctoritatibus, tum rationibus, ſiue ſequamur vnam opinionem, ſiue alteram, ipſi è contra probant repugnare, quia repugnat, & deſtruit eius eſſentiam. Hoc profecto eſt probare idem per idem, ac proinde nihil probare.

30 Secundo obijciunt textum C. cum ad Monaſtêrium de ſtatu Monachorum, vbi dicitur: Abdicationem proprietatis ita eſſe adnexam Religioni, vt nec Summus Pontifex poſſit diſpenſare. Verum iam ſæpius reſponſum eſt à citatis auctoribus nomine proprietatis debere intelligi vſum independentem à licentia ſuperioris, non vero dominium, quæ reſponſio applicanda eſt ad ſimiles auctoritates deſumptas ex varijs iuribus, nec opus eſt diutius imorari in hoc argumento millies ab alijs profligato. Solum aduerto cum Suarez in hoc ſenſu debere accipi nomen proprij quando Equites in ſua profeſſione vouent non habere proprium, videlicet vſum independentem non vero dominium.

31 Tertio opponi poteſt S. Thomas qui interdum aſſerit cum voto ſolemni non poſſe ſtare dominium. Sed fatendum ingenuè eſt S. Thomam in hac materia de ſolemnitate votorum obſcurius loquutum fuiſſe, tria enim videtur aſſerere, non poſſe ſtare veram Religionem ſine votis ſolemnibus, ſolemnitatem votorum eſſe de iure naturali, vel diuino, Summum Pontificem non poſſe diſpenſare in votis ſolemnibus Religioſi, quæ omnia ad minus ſunt valde difficilia. Quare nonnulli etiam ex Thomiſtis in hoc puncto aperte deſerunt S. Thomam, alij benignius conantur eum interpretari; omnes tamen conueniunt, quod ſi vidiſſet poſteriora decreta Pontificiâ aliter fuiſſet loquutus. Equidem memini me legere in formula iuramenti, quod faciunt Magiſtri Theologiæ in aliquibus Academijs Hiſpaniæ de ſequenda doctrina S. Thomæ nominatim excipi tum materiam de Conceptione B. Virginis, tum iſtam de ſolemnitate votorum, ſed re vera S. Thomas non eſt contrarius; loquitur enim ſolum de eo, quod ſpectato iure poſitiuo accidit Communiter in profeſſis clauſtralibus.

32 Quarto obijciunt turbam Doctorum aſſerentium repugnare dominiũ cum voto paupertatis Religioſæ. Sed vt vno verbo omnibus reſpondeatur aduerto nonnullos ex iſtis non tam loqui de paupertate obligata per votum ſolemne, quam de paupertate Religioſa in genere, ac proinde aperte falli: alij autem tenent votum ſolemne paupertatis iure naturali inhabilitare ad dominia, ex quo inferunt non poſſe ſtare cum dominio; quare cum ex falſo antecedenti deducant falſum conſequens, in neutro ſunt audiendi; alij deniq; licet teneant inhabilitatem ad dominium eſſe ex ſolo iure Eccleſiaſtico, tamen cum vt ait Pontius laborarent ignorantia antiquitatis, ex qua potuiſſent cognoſcere ſolemnem profeſſionem non excludere dominium à profeſſo, nec vidiſſent Conſtitutionem Gregor. XIII. quæ poſtea pluribus oculos aperuit; attenderunt ſolum ad id, quod de facto ſpectabant accidere in Religionibus clauſtralibus, ac propterea falſa veris, dubia certis immiſcuerunt, vt proinde nihil ſolidi, & indubitati ex eorum dictis colligi poſſit, quod pertinet ad præſentem difficultatem, quæ tota eſt dirimenda ex doctrina illorum, qui acurate tractarunt hanc materiam poſt editam Conſtitutionem Greg. XIII. aut nouũ ius condentis, aut antiquum declarantis. Ex iſtis autem auctoribus præſertim Theologis videor mihi poſſe cum veritate aſſerere, neminem eſſe, qui ita dicat cum voto ſolemni paupertatis repugnare dominium, vt vel ſimul, vel ante, vel poſt non addat aliquam limitationem, vt adductis eorum verbis clariſſimè oſtẽdimus.

33 Tandem opponunt illud decantatum. Quicquid acquirit Monachus acquirit Monaſterio, ſed ſi nomine Monachi intelligatur verus Religioſus, hoc ius antiquum eſt correctum per Conſtitutionem Gregorij XIII. ex qua meridiana luce clarius patet poſſe verum Religioſum acquirere aliquid, quod non acquirat Monaſterio, quoad dominium, ſed ſolum quatenus eius diſpoſitio dependet à voluntate ſuperioris, nec ipſum dominium poteſt retineri inuito ſuperiore. Si autem nomine Monachi intelligatur ſolemniter profeſſus, in primis dico hoc eſſe ius poſitiuum, quod eadem auctoritate, qua inductum eſt, poteſt tolli; vel conſuetudine præſcribi Suarez tom. 3. lib. 8. cap. 16. n. 24.

deinde

deinde aſſero textum loqui ſolum de eo, quod regulariter, & communiter accidit in profeſſo clauſtrali, non vero de eo, quod vel de facto accidit, vel poſſet accidere in profeſſo ordinis Militaris, cum certum ſit iura non agere directè de iſtis profeſſis, ſed ſolum de clauſtralibus, à quibus deinde fit extenſio ad Militares. Sed norunt omnes Iurisperiti, quot, & quantas iſta extenſio à paritate, vel etiam identitate rationis patiatur exceptiones, & limitationes. Non eſt igitur denegandum Summo Pontifici, quod poſſit inſtituere Religionem cum voto ſolemni paupertatis, cuius profeſſus ſit ex propria perſona capax dominij ſaltem limitati quale eſt feudum.

34 STatuto iam primo puncto non erit difficile oſtendere ſecundum; ſi enim ſemel concedamus non obſtare voto ſolemni paupertatis, quod profeſſus ex propria perſona habeat aliquod dominium limitatum, nullus profecto negabit ita de facto contingere in Equite Hieroſolymitano. Et quia de hoc ſicut etiam de cæteris ad præſentem difficultatem ſpectantibus pleniſſimè, & ſolidiſſimè egerunt Per Illuſtres DD. Antonius Merenda, & Franciſcus Maria Megliauacca pro Excellentiſs. Marchione conſulentes, adeout nihil poſſit addi; breuiter ab ipſis deſumam argumenta, ex quibus hoc manifeſtè deducitur, ſimulq; reſpondebo replicis, quæ poſſent fieri.

35 Primum ergo accipi debet ex fine, in quo vt notat S. Thomas, & cum eo Theologi taxanda eſt paupertas cuiuſcunq; Religionis. Cum enim finis Religionis Hieroſolymitanæ ſit militare contra hoſtes Chriſtiani nominis, ad quod requiruntur magni ſumptus, nec ſufficiunt redditus communes Religionis, omnino congruum fuit, vt Religioſi ipſi poſſent habere redditus, & dominia. Nec valet dicere ſatis ad hunc finem eſſe, ſi Eques ſuccedat ex perſona Religionis non propria; plura enim ſunt dominia, vt Maioratus, feuda, aliaq; ſimilia talis conditionis, vt ad ea non admittatur Monaſterium, ſiue Religio. Male igitur conſultum fuiſſet fini, & neceſſitati Religionis, ſi illius Equites nobiliſſimi, ad quos ſæpe iſta dominia deuoluuntur, eſſent incapaces ſuccedendi ex propria perſona.

36 Secundum deſumitur ex ſenſu omnium Doctorum, qui tractarunt de ſucceſſione huiuſmodi Equitum ad feuda; nam quamuis aliqui impugnauerint talem ſucceſſionem, nullus tamen vſus fuit argumento deſumpto ex voto ſolemni paupertatis inhabilitantis Equitem ad dominia. Nec ſatisfit ſi dicatur, ideo non vſos fuiſſe hoc argumento, quia ſupponebant, quod ſi Eques ſuccederet, non ſuccederet ex perſona propria, ſed Religionis, quæ eſt capax dominij. Nam potius conſtat ipſos ſuppoſuiſſe contrariũ. In primis enim comparant Equitem S. Ioannis Clerico, fœminæ, & Equiti S. Iacobi &c. quos conſtat ſuccedere ex propria perſona. Deinde cum certum ſit tam Monachos, quã Equites S. Ioannis interdum ſuccedere in aliquibus feudis, quando agunt de ſucceſſione Monachi, ſignanter aduertunt ſuccedere Monaſterium; quando vero tractant de ſucceſſione huius Equitis, nunquã dicunt ſuccedere Religionem. Sanè hoc denotat apud iſtos auctores quodammodo magis indubitatũ fuiſſe, quod in illis caſibus Eques ſuccederet ex propria perſona, quam Monachus ex perſona Religionis.

37 Præterea agentes de ſucceſſione Monachi plures caſus aſſignant, in quibus excluditur ipſe, non quidem ex eo quod non poſſit præſtare ſeruitiũ requiſitum, ſed quia mens inſtitutoris fuit, vt excluderetur Monaſterium, & feudum permaneret in familia, vt quando feudum habet adnexam iuriſdictionem, vel dignitatem Ducis, Marchionis &c. Dum vero agunt de ſucceſſione Equitis non diſtinguunt hoc caſus, nec vnquam inuenitur, quod ab aliquo feudo excluſus ſit Eques alia ratione, quam quod non poteſt perſonaliter ſeruire Principi, quare cenſent apertè ſi talis Eques ſuccedat, ſuccedere ex perſona propria, nõ Religionis. Incredibile enim videtur tot auctores in materia toties agitata nunquam vel leuiter conſideraſſe hoc motiuum, quod ſi ſubſiſteret facilius excluderetur Eques à pluribus feudis, quæ vel ex Inueſtitura, vel ex

Statutis peculiaribus locorum non admittunt Monaſteriũ, ſiue Religionem.

38 Tertium deſumitur ex varijs regulis, ſiue ſtabilimentis Religionis Hieroſolymitanæ, ex quibus clarè conſtat hos Equites eſſe capaces dominij, vt optime ponderarunt prædicti DD. conſulentes, & alij plures apud ipſos. Nec valet dicere huiuſmodi verba ſtatutorum etiam impropriè eſſe accipienda, vt reducantur ad ius commune Religionum iuxta Regulam traditam à Iuriſperitis. Nam in primis hæc regula habet locum iu actibus priuatis huius, vel illius perſonæ, non vero iu ſtatutis alicuius communitatis, quæ ſunt accipienda in proprietate verborum, & multo minus in ſtatutis alicuius Religionis, quæ ſi reducerentur ad ius commune, tolleretur varietas Religionem.

39 Deinde fallit hæc regula, quando aliunde conſtat eſſe apertiſſimam diſparitatem. Quis autem non videat quanta ſit diuerſitas in modo viuendi, ſine, & medijs Religionis Hieroſolymitanæ à cæteris clauſtralibus? Hæc ſanè eſt tanta, vt communius doceant Theologi, ſi quis voueat ſe ingreſſurum Religionem, non ſatisfacere ingrediendo ordinem S. Ioannis. Corduba in ſumma q. 148. Sanchez in Decal. lib. 4. c. 16. num. 12. Rodriquez in compen. q. Regular. Reſol. 190. nu. 13. Bartolomeus à S. Fauſto lib. pri. Theſau Relig. q. 181. Layman lib. 4. Tract. 5. c. 6. Bonacina diſp. 4. punc. 5. q. 2. § 6. Caſtro Palao Tract. 16. diſp. pri. punc. 3. nu. 6. Sperellus deciſ. 21. nu. 62. Portel in addit. ad dub. Regul. v. Religioſus nu. 4. Vecchius in Praxi Nouit. diſp. 10. num. 2. Quare paſſim Iuriſperiti dicunt huiuſmodi Equites non venire nomine Religioſi præſertim in odioſis.

40 Et profecto non eſſe paupertatem iſtorum Equitum metiendam ex paupertate clauſtralium, ſed potius Equitum S. Iacobi, Alcantaræ &c. patet, tum quia magis aſſimilantur in modo viuendi iſtis, quam illis; tum ex pluribus rationibus, & auctoribus adductis ab ijsdem conſulentibus, quibus addo Ferdinandum Caſtro Palao diſ. 3. punc. 3. num. 8. vbi cum iuxta veriorem ſententiam, quam ſequitur Sanchez lib. in Decal. lib. 7. c. 8. num. 36. Malderus de Iuſt. & iure c. 11. dub. 3. & Card. de Lugo tom. pri. diſp. 3. nu. 131. in fine docuiſſet huiuſmodi Equites ex vi ſui voti, & ſtando in iure communi poſse teſtari, ſubdit rationem: *Cum enim vitam in ſeculo degant alijs ſecularibus ſimilem, conſonum erat, vt votum paupertatis non eßet ita ſtrictum. ſed permitteret eos retinere dominium ſuorum bonorum, eorumq; diſpoſitionem ſuperioribus conſentientibus, Quo circa ſolum eis interdicta eſt teſtamenti factio abſq; ſuperioris licentia ex Regula, & Conſtitutione, ac proinde ſi Teſtamentum fiat etiam abſq; licentia, validum erit.* Idem dominium bonorum in Equite Melitenſi probant plures tum Iuriſtæ, tum Theologi, & nouiſſimè doctiſſimus Dicaſtillus apud Dianam P. 7. Tract. 9. Reſol. 17. aſserens *Illos abſolute eße veros Dominos ſuorum bonorum, & votum paupertatis illorum ita eſſe conſuetudine interpretandum.* Quæ teſtimonia optimis rationibus innixa præualere debent ſimplici dicto vnius, aut alterius, qui ſine vlla probatione, nec bene perpenſis regulis religionis cenſent Equites S. Ioannis eſse incapaces dominij, & teſtandi.

41 Quartum ſumitur à verbis decr. edicti à Magno Magiſtro in pleno Capitulo Anno 1635. inhærendo ſimili declarationi factæ anno 1543. in quibus ſtatuitur Equites Melitenſes ſuccedere in quibuſcunq; bonis etiam feudalibus Agnatorum &c. Quamuis autem non poſſim credere aliquem futurum, qui dicat hic agi de ſucceſſione Religionis nõ Equitis ex perſona propria; tamen vt tam inane effugiũ præcludatur, ſuppono ad hoc vt Religio aliqua ſuccedat in feudo, & alijs bonis requiri ex parte quidem Religionis, vt ipſa de ſe ſit capax poſſidendi bona in communi, ex parte vero feudi, vt non habeat tales conditiones, ſiue ex inueſtitura, ſiue aliunde, per quas excludatur Religio. Iam vero inquiro quid declarauerit Magnus Magiſter, & Capitulũ, quando declarauit ſuos Equites ſuccedere in feudis &c. An quod Religio Hieroſolymitana ſit capax habendi bona in communi? Hoc ſane erat ita clarum, vt nulla opus foret maiori explicatione, nec ab aliquo vnquam fuerit reuocatũ

in

in dubium. An quod feudum, & alia bona non haberent conditiones propter quas excluderetur Religio? Hoc certè non debuit Magnus Magiſter declarare, tum quia fuiſset mittere falcem in meſsem alienam, tum quia non poteſt hoc vniuerſaliter decidi, cum pendeat ex tenoribus inueſtituræ, ſtatutorum &c. Quare vel prorſus inutile, vel valde temerarium redderetur hoc Decretum, ſi in illo ageretur de ſucceſſione Religionis.

42 At ſi dicamus agi de ſucceſſione Equitis ex propria perſona, manifeſtè apparet ratio dubitandi, & vis declarationis. Cum enim huiuſmodi Eques ſit Religioſus, poterat prima fronte dubitari, an eſset capax ſuccedendi ex perſona propria. Tollere autem hoc dubium ſpectabat ad Magiſtrum, & Capitulum, cuius eſt declarare inſtitutum, & leges Religionis.

43 Præterea ſi agebatur de ſucceſſione Religionis, cur de hoc non eſt facta aliqua mentio, ſed potius dictum fuit *Fratres noſtros ſuccedere, eſſe legitimos bonorum ſucceſſores, acquiſita per eos legitima poſſeſſio bonorum*, quibus verbis nunquam vteretur Religio clauſtralis, quia aperte denotant ſucceſſionem ex propria perſona Religioſi, cum præſertim ſaltem poſseſſio iſtorum bonorum non fit penes Religionem Hieroſolymitanam, ſed penes ipſos Equites. Facit ad hoc doctrina Vaſquez de reddit. prope finem, Paſqualigi decis. 168. & aliorum plurium, qui ex ſimilibus verbis, & cæteris rationibus ſupra adductis probant profeſsum clauſtralem aſsumptum ad Epiſcopatum ſuccedere ex propria perſona.

44 Accedit quod in eodem decreto dicitur iuramentum fidelitatis præſtitum ab Equitibus occaſione feudalis ſucceſſionis non repugnare prohibitioni, quam habent Equites non obligandi ſe alicui Principi. Talis autem prohibitio complectitur ſolum iuramenta facta ab Equite ex propria perſona, non verò ex perſona Religionis, cum abſq; vlla prohibitione conſtet, neminem ſine mandato poſse valide, ne dum licite iurare nomine alterius. Supponitur ergo hoc iuramentum fidelitatis fieri ab Equite ex propria perſona, & conſequenter ipſum ſuccedere ex propria perſona.

45 Deinde cum idem decretum teſtetur *de immemorabili conſuetudine ſuccedendi in quibuſcunq; bonis falſum* eſset hoc teſtimonium, ſi ſermo foret de ſucceſſione Religionis, vt enim quotidiana docet experientia, & affirmant antiquiores equites, quorum munus eſt colligere ſpolia defunctorum, nunquam Religio prętendit aliquod ius in bona patrimonialia, ſed ſolum in mobilia. Si autem Religio haberet dominium omnium bonorum equitis, non poſset cum tanto ſuo detrimento, & contra repetita decreta Pontificum illa deſerere.

46 Quia vero ad infringendam vim huius decreti, quod licet cætera deeſsent, per ſe ſolū plane dirimit præſentem controuerſiam, audio non ſine aliqua iniuria Religionis reuocari in dubium eius validitatem; de hoc etiam agendum breuiter eſt. Dico igitur poſse hoc decretū ſuſtineri in vim legis habilitantis equites, quamuis antea non eſsent habiles. Nam licet ex doctrina Sanchez ſuperius allata non poſſit Religio propria auctoritate facere ſe ipſam, vel ſuos Religioſos habiles, aut inhabiles ad dominia; benè tamen poteſt hoc facere auctoritate accepta à Pontifice, à cuius nutu pendet omnis habilitas, aut inhabilitas. Cenſetur autem Pontifex dediſse Magno Magiſtro, ac Capitulo hanc auctoritatem, dum dedit illis facultatem condendi noua ſtatuta &c.

47 Deinde poteſt idem decretum ſuſtineri in vim declarationis. Quemadmodum enim profeſsus clauſtralis non poteſt condere teſtamentum, poteſt tamen declarare teſtamentum antea à ſe factum, ita quamuis Magnus Magiſter non poſſit habilitare equites, vt ſuccedant ex propria perſona, poteſt tamen ſine dubio declarare illos habiles, quia ad ipſum pertinet explicare ſenſum fortaſſe obſcurum Regulæ.

48 Deniq; ad minus hoc decretum habet vim teſtimonij irrefragabilis, & omni exceptione maioris *de frequentiſſimo vſu, & conſuetudine ſuccedendi ab immemorabili tempore, in vniuerſis linguis, & nationibus recepta*. Hæc autem conſuetudo

tudo non ex conniuentia ſuperiorũ inducta,ſed à tota Religione per centum annos obſeruata, & duobus capitulis generalibus ſtabilita ſub oculis Pontificis, qui eam ſæpe in ſuis nepotibus admiſit, ſicut in cæteris; hæc inquã conſuetudo præſertim immemorabilis potuit derogare iuri poſitiuo, ſi quod fortaſse fuit, inhabilitanti equites ad talem ſucceſſionem; ſicut eadem conſuetudo ex communi ſententia poteſt tollere à profeſso etiam clauſtrali inhabilitatem ad teſtandum, quod iuxta Suarez tom. 3. de Relig. fol. 467. duobus modis explicatur, primo ſi dicamus conſuetudine inductum fuiſse, vt intelligatur Pontifex tacite abſtuliſse à votis ſolemnibus equitum inhabilitatẽ ad ſuccedendum ex perſona propria; ſecundo ſi dicamus eadem conſuetudine introductum fuiſse, vt materia voti intelligatur eſse diminuta, nec iam ſit votũ paupertatis ſimpliciter, ſed limitatæ. Quare equites S. Iacobi &c. aliam rationem aſsegnare nequeunt eorũ capacitati ſuccedendi ex perſona propria præter hanc conſuetudinem cum nullam habeant diſpenſationem, aut ſtatutum qood expreſsæ id eis permittat.

49 Hinc patet quam ſolemnitatem habeant vota equitis Hieroſolymitani. Nam iuxta veriorem ſententiã, quæ ſtatuit ſolemnitatem in perpetuitate ex vtraq; parte, dicendũ eſt omnia tria vota habere completam, & totalem ſolemnitatem non minus quam vota profeſſi clauſtralis. Iuxta ſententiam autem minus probabilem, quæ aſserit inhabilitatem ad actus voto oppoſitos eſse de eſsentia ſolemnitatis, vel eius partem, dicendum eſt votum quidem caſtitatis emiſsum ab equite eſse omnino ſolemne, quia inhabilitat ad coniugium, votũ autem paupertatis concedi poteſt non eſse omni ex parte ſolemne, quia licet habeat multũ ſolemnitatis quatenus eſt abſolute perpetuum, quæ perpetuitas in omniũ ſententia eſt pars ſolemnitatis, & etiam quatenus inhabilitat equitem ad aliquos actus paupertati oppoſitos v.g. ad aliquas alienationes &c. non tamen habet totam illam ſolemnitatem, quæ reperitur in voto profeſſi clauſtralis, quia non inhabilitat ad dominium limitatum. Ita Diana part. 5. tract. 8. Reſolut. 30. vbi ex Hurtado de Mendoza ait: *licet eorum votum in ſolemnitate ſit perfectum; at non tam perfectum ex parte obiecti, quam votum clerici Regularis, aut Monachi, vouent enim paupertatem iuxta ſuam Regulam, quæ paucis in rebus eos adſtringit*: Pontius de Matrim. loc. cit. l. 7. *In Religionibus militaribus etiam ex ea parte, qua clericos reſpicit licet vota obedientiæ, & caſtitatis ſolemnia ſint, at votum paupertatis non eſt omni ex parte ſolemne*, quod etiam repetit l. 9. c. 7. num. 18. *In paupertatis voto aliquid de ſolemnitate imminutum eſt*, & ſubdit, *Non eſt autem mirum in vna, eademq; profeſſione quædam vota emitti ſolemnia, quædam autem minus ſolemnia, aut etiam ſimplicia*, quod etiam tradit Suarez tom. 3. de Relig. fol. 129.

50 Hinc pariter patet quanta ſit diuerſitas Religionum, quibus Eccleſia ornatur in veſtitu deaurato circumdata varietate; nam præter ſupradicta loquendo de ſolis profeſſis ſolemniter, aliqui ſunt inhabiles ad coniugia, & dominia, vt clauſtrales; alij è contra habiles tam ad coniugia, quã ad dominia, vt equites S. Iacobi &c. alij inhabiles ad coniugia, non autem ad dominia, vt equites Meliteſes, & Teotonici, alij deniq; poſſunt eſſe inhabiles ad dominia, non ad coniugia, cuiuſmodi fortaſſe ſunt de facto nonnullæ moniales ordinum Militarium, quæ teſte Pontio licet ſint incapaces dominij, & inteſtabiles, *valide tamen nuberent*. Male ergo ex inhabilitate, quam ſecum afferunt vota ſolemnia clauſtralium arguitur ad alios ordines militares.

51 Non deſinam tandem adnotare, quod etiã optimè obſeruauit D. Megliauacca in ſuo reſponſo, ad defendendam ſucceſſionem equitis Melitenſis in feudo ex propria perſona non eſſe neceſſarium aſſerere illum eſſe capacem dominij, ſufficit enim ſi ſit capax vſusfructus, cum feudũ, vt ex ipſius definitione patet, non ſit niſi dominiũm vtile, ſiue vſusfructus, licet differat ab vſufructu nudo in aliquibus accidentalibus, vt docent paſſim Iuriſperiti, ac Theologi, apud quos indubitatè conſtat Vſufructuarium non eſſe Dominum Card. de Lugo

de

de Iuſt. & iur. diſp. num. 6. plures adducens.

52 Porrò ſolemniter profeſſum etiam clauſtralem eſſe capacem vſusfructus probari poteſt ex doctrina ſatis recepta, quæ aſſerit ius ad vſumfructum, cum ſit perſonaliſſimum reſidere in perſona propria Monachi, licet commoditas vſusfructus pertineat ad Monaſterium, nec obſtare, quod Monachus ſit incapax cuiuſcunq; iuris proprij, quia hoc intelligitur, vt eius commoditate fruatur, ſecus autem ad vtilitatem Monaſterij. Pro hac opinione Sanchez in Decal. lib. 7. cap. 13. nu. 49. affert quindecim Auctores, quibus addi poteſt Bartolomeus à S. Fauſto lib. 8. q. 22. hoc apertè tenens, & Suarez tom. 3. de Relig. fol. 453. vbi ait hoc eſſe probabile, & facile poſſe ſuſtineri.

53 Præterea Concil. Trident. Seſs. 25. cap. 2. de Regularibus inter cætera prohibet: *Ne Regulari concedantur bona immobilia etiam ad vſumfructum*. Circa hoc decretum, quod ſine dubio non comprehendit equites Melitenſes, dubitatur an per illud correctum ſit ius antiquum, an ſolummodo confirmatum id, quod antea erat in iure, quidquid autem dicatur, habemus intentum. Nam ſi correctum eſt ius antiquum, ergo ante tale decretum profeſſus clauſtralis erat capax vſusfructus, vt præter cæteros relatos à Sanchez lib. 7. in Decal. cap. 22. nu. 7. tenet etiam Malderus de Iuſt. & iur. l. c. ſi autem confirmatum eſt ius antiquum, vt ex alijs docet Sanchez, cum olim non eſſet prohibitus vſusfructus, niſi datus vel ſine iuſta cauſa, vel irreuocabiliter, vel ad quoſcunq; vſus etiam prophanos, neq; nunc erit prohibitus profeſſo vſusfructus ex iuſta cauſa reuocabilis &c. quia, vt optime notat idē Sanchez: *In paupertatis votum minimè delinquit, nec proprietarius ſit rem aliquam ex licentia ſuperioris, & ad eius nutum reuocabilem poſſidens, paratuſq; eo reuocante dimittere, quia talis non vtitur rebus, tamquam ſuis, ſed vt alienis*.

54 Et quidquid ſit de profeſſo clauſtrali certe eques S. Ioannis eſt capax vſusfructus, tum quia hoc adminimum important verba ſtatutorum Religionis Hieroſolymitanæ, tum quia quotidianus vſus, & experientia hoc teſtatur. Atq; ita præter alios relatos à dicto conſulente docet expreſſe Diana Pri. Par. tract. 15. Reſolut. 54. & apud eum Homobonus, Graffius, & Sanchez, qui tamen cum Homobono etiam dominium concedit.

55 Libet autem aliquid vlterius addere, quo melius pateat, & quam parū ſubſiſtat motiuum à Fiſco excitatum, & quomodo ſucceſſioni equitis S. Ioannis non obſtent nouæ conſtitutiones, deſumpto exemplo a Maioratu, ex quo ad feudū in paribus ſit deductio. Eueniente annis præteritis in Hiſpania caſu ſucceſſionis ad Maioratum inſtitutum cum clauſula excludente Religioſos, proxime vocatus iam ingreſſus fuerat Societatē Ieſu, & in ea emiſerat vota ſimplicia ſcholaſticorū. Dubitatum fuit an deberet ſuccedere, nam ex vna parte contra ipſum obſtabat, quod eſſet verus Religioſus, ac proinde excluſus. Ex alia autē parte pro ipſo faciebat, quod excluſio Religioſi videbatur appoſita ſolum ne Maioratus tranſiret in Monaſterium, ſed permaneret in familia; in hoc vero caſu Maioratus non tranſibat in Religionē, ſed permanebat in ipſa perſona Religioſi, qui erat capax dominij. Sanè iuxta motiuū Fiſci ita fuiſſet iudicandum. Nihilominus introducta cauſa in Regio Senatu, ſapientiſſimi Patres decreuerunt non debere ſuccedere; & iure quidem optimo inquit Sanchez lib. 7. in Decal. cap. 15. num. 4. quia licet ſcholaſticus ſocietatis ſit capax ſuccedendi, nec ſocietas ſuccedat, *tamen non poteſt conſeruare dignitatem, & honorem familiæ, quamuis in ſe poſſit Maioratum retinere, quibus conſeruandis ea clauſula apponi ſolet, cum debeat inſtar pauperis Religioſi vitā tranſigere*.

56 Ex quo poſtea nu. 5. infert cum alijs à contrario ſenſu, non obſtante clauſula excludente Religioſos, ſuccedere tamen equites S. Iacobi &c. quamuis ſint verè Religioſi, & nu. 50. extendit idem ad equites S. Ioannis *eo quod iſti non cenſeantur Religioſorum nomine comprehendi in hac excluſione, cum conſeruent decus, & honorem familiæ, & agnationem*. Subdit autem, quod ſi à Maioratu excluderetur clericus in ſacris conſtitutus, tunc cenſeretur excluſus etiam eques

Me-

Melitenſis, quia licet nõ ſit conſtitutus in ſacris, militat tamen in illo eadem ratio propter quam illa excluſio præſumitur facta, nempe quod non poſſit habere ſucceſſionem. Quæ omnia vltra cæteros docet etiam Card. de Lugo tom. pri. de iuſt. & iur. diſp. 3. num. 213.

57 Hinc deduco iuxta deciſionem Regij Senatus, & communem doctrinam ad videndũ quid operetur clauſula excludens Religioſum à Maioratu (& eadem eſt ratio de feudo, remoto tamen ſeruitio perſonali, de quo hic non agimus, quia quoad hoc iam Fiſcus dat manus) ad videndum inquam quid operetur excluſio Religioſi non eſſe ſpectandum an Religioſus ſit capax ſuccedendi ex propria perſona, vel non, ſed ſolum an poſſit conſeruare decus, & honorem familiæ, agnationem, memoriam beneficiorum, vel quid ſimile, cuius conſeruatio intenditur per excluſionem Religioſi.

58 Confirmatur quia clauſula, vel lex tacite, ſiue expreſſe excludens Religioſum non tendit directè, vt excludatur Religioſus, aut Monaſterium, aliòqui eſſet iniqua, & reijcienda, ſed ſolum ad alium finem honeſtũ. Quare ſi huiuſmodi finis æque bene poſſit haberi, non debebit Religioſus cenſeri excluſus, ſiue deinde ſuccedat ex propria perſona, ſiue ex perſona Religionis. Finis enim, & ratio eſt anima legis, ad quam potius, quam ad corticem verborum debemus reſpicere.

59 Cum igitur Eques S. Ioannis, qui ſplendidiſſimè viuit, gerit nomen, & inſignia agnationis, & feudi, illudq; adminiſtrat, conſeruat honorem familiæ, memoriam beneficiorum &c. non minus quam quilibet alius ſecularis, non eſt excludendus, ſicut nunquam excluſus fuit in hoc ſtatu, alijsq; quamuis daremus non ſuccedere ex propria perſona. Et profecto valde durum videri merito poteſt ex nouo motiuo, eoq; propter plura capita, vt mitiſſime loquar, minus probabili, velle contra receptam conſuetudinem decidere hanc controuerſiam, & quodammodo extinguere ſcintillam Excellentiſſimæ Familiæ, quæ pluribus, & fideliſſimis obſequijs erga Catholicam Maieſtatem ſemper præſtitis digna potius eſt, quæ à Potentiſſimo, & Munificentiſſimo Monarcha nouis beneficijs afficiatur.

60 Quare ſaluo ſemper meliori iudicio, exiſtimo concludendũ Equitem S. Ioannis ſuccedere ſemper in feudo etiam quando tacite, aut expreſſe excluditur Religioſus, ſiue Monaſterium, quod vltra plurimos iuris, ac Theologiæ Doctores tenet etiam Card. de Lugo tom. pri. de iuſt. diſp. 3. nu. 213. cui vt Sapientiſſimo Magiſtro, & Eminentiſſimo Domino meo me plane ſubſcribo.

Io Aloyſius Confalonerius Soc. Ieſu Sacræ Theol. Profeſſor.

Ego D. Franchus Gnochus Sacræ Theologiæ Profeſſor, & Abbas ordinis Ciſtercienſis ſentit vtſupra &c. In fidem &c.

Ego D. Aſcanius Hordeus ordinis Can. Reg. Saluatoris Lateranenſis Sacræ Theologiæ Profeſſor, Concionator Priuilegiatus, ac Abbas diuiſionis Apoſtolorum. Supraſcriptum Reſponſum confirmo, & eidem ſententiæ ſubſcribo &c.

Ego Frater Ludouicus Bereta ordinis Seruorum B. M. V. olim Eccleſiæ Metropolitanæ Mediolani Pœnitentiarius, nec non in Ticinenſi publica vniuerſitate primarius philoſophiæ interpres, anteſcripta, etiam pro veritate intrinſecus concepta confirmo.

Ego Ioannes Petrus Puricellus, Sacræ Theologiæ Doctor, & Laurentianæ Mediolani Baſilicæ Archipresbyter, præcedenti Conſultationi, quæ mihi copioſè diligenter, & eruditè ad ſaniora Doctorum pronunciata, quin etiã communem ad praxim elaborata videtur, planè conſentio, meq; lubentiſſimus mea manu ſubſcribo. Cæterum ad maiorem quoq; confirmationem

hac

hac inſuper optaſſe auſim: vt expreſſa fieret hic mentio illius etiam declarationis, quæ nu. 41. innuebatur ab huius Sacri ordinis Capitulo Generali facta Anno Domini 1543. quæq; integra legi poteſt apud Iacobum Boſiũ Tertia Parte Hiſtoriæ (quam Italicè conſcripſit) eiuſdem ordinis, Libro videlicet vndecimo, ad ipſummet Annum Chriſti 1543. pag. 227. Permagni enim ea declaratio mihi videtur ad præſentem pariter quæſtionem intereſſe. Quamobrem ipſam ego inde interim exſcribam, ſicut ab ipſemet Boſio recenſetur, & his quidem verbis.

Ricorſe à queſto General Capitolo Frà Claudio S. Blaſi, detto Brunus, Caualiero della Lingua di Francia: eſponendo, come i Parenti ſuoi gli faceuano impedimento, & oſtacolo, che conſeguire non poteſſe eredità alcuna, ne per Teſtamento, ne ab inteſtato, allegando contra di lui vna certa legge ò ſia conſuetudine di quel Regno, per vigor della quale tutti i Religioſi, in quanto alla ſucceſſione, ſono riputati nel numero de morti: *ſupplicando egli per queſto il General Capitolo (poſciache li ſtabilimenti della Religione intorno à ciò coſa alcuna non diſpongono) ſi degnaſſe di dichiarare la mente ſua. E parendo al General Capitolo, che la petitione è dimanda di detto Caualiero foſſe giuſtiſſima; con voto è parere de molti valenti Dottori dichiarò, che i Religioſi di S. Giouanni Gieroſolimitano nelle coſe fauoreuoli ſolamente,* & non nelle odioſe, *debbono eſſer tenuti per Religioſi: e che per conſeguenza non poſſino ne debbano eſſer eſcluſi da poter ereditare i Parenti loro. E ſopra di ciò ne nacque vn Reſcritto: che potendo eſſer gioueuole à tutti i Caualieri è Religioſi di queſt' ordine* (poiche i Decreti del loro General Capitolo hanno forza di legge) *non è parſo fuori di propoſito lo ſtenderne quì il ſuo tenore: che, tradotto di Latino nel volgare noſtro Idioma, è tale,*

Frà Giouanni d'Omedes, per gratia di Dio humil' Maeſtro della Sacra Caſa dello Spedale di S. Giouanni Gieroſolimitano, e Cuſtode de' Poueri di Gieſù Chriſto, e noi Baglivi, Priori, Commendatori, e Fratelli della detta Caſa, celebranti nel Signore il Capitolo Generale: à tutti & à ciaſcuno, al quale le preſenti noſtre peruerranno, ſalute, & à deſiderij loro proſperi ſucceſſi. Per parte del Religioſo in Chriſto à noi cariſſimo, Frà Claudio S. Blaſi, detto Brunus, Caualiero della noſtra Veneranda Lingua di Francia, ci è ſtata nel noſtro General Capitolo eſſibita è preſentata vna Supplica: nella quale ſi conteneua, che eſſendo egli ſtato ſecondo le conſuetudini noſtre decorato, & ornato dalle Inſegne di queſta Religione, e Gieroſolimitana Militia noſtra, per le quali non è prohibito ne vietado ad alcuno il potere per Teſtamento, ouero ab inteſtato, à Parenti è Conſanguinei loro ſuccedere: hauendo egli voluta accettare è pigliare vn' ereditade in Francia, à lui ſpettante, & appartenente, da molti gli viene in ciò fatta contradittione, & oſtacolo, allegando, & opponendogli contra vna certa legge de Franceſi, ò ſia conſuetudine, per vigore della quale tutti i Religioſi, in quanto alla ſucceſſione, per morti tenuti è riputati ſono. *Il che in vero non ſolamente dalle Conſtitutioni noſtre, mà da ogni Ciuile è Canonica legge ancora, in tutto è odioſo è lontano: le quali Conſtitutioni è leggi in modo alcuno non eſcludono dalla ſucceſſione de i Parenti loro i Religioſi, e particolarmente quelli, che à così cara à Chriſto, & alli buomini grata, & vtile Militia aſcritti ſono, & che à combattere contra nemici della Santa Fede per ſempre ſi ſono obligati; altrimenti il zelo grande, ch' eglino hanno hauuto, della Santa Fede, & il fauore della detta Militia, in danno, & in perdita (il che ſarebbe iniquiſſimo) gli tornarebbe; percioche, mentre di giorno, & di notte armati, con gran pericolo delle vite loro, combattendo ſe ne ſteſſero, renduta poi gli ſarebbe in premio la perdita della lagrimeuole heredità de Parenti loro. Però egli è commune opinione parere, e ſentenza d'huomini dottiſſimi, che i Caualieri di San' Giouanni nelle coſe fauoreuoli ſolamente,* & non nelle odioſe, *frà 'l numero de Religioſi ſi comprendino. Le quali ragioni, con molte altre ancora, auengache habbi egli con molte fatiche, e ſpeſe ſue appò i Giudici di quel Regno, litigando ſopra la ricuperatione de beni paterni, dedotte, &*

alle-

allegate; non v' è però ſtato rimedio, ch' egli habbi potuta conſeguire la ſua giuſtitia: ne per le ragioni ſopradette, ne per quella, che per li Apoſtolici Priuilegij, è per le conſuetudini è appò noi oſſeruata, *può egli eſſer' eſcluſo dal godere, e gioire*, vita ſua durante, *di detti beni. Percioche altrimenti ciò ritornarebbe in danno grande della Religione noſtra: alla quale doppo la morte di lui, per ragione hereditaria; eſcludendoſi tutti li altri, i beni ſopradetti toccano* (videlicet bona tantum mobilia, ſicut in præmiſſa conſultatione obſeruatum iam optimè fuit num. 45.) *& appartengono.*

Per il che à nome del Caualier ſopradetto ci è ſtato humilmente ſupplicato, che per maggior' cautela, & à fine che all' auenire, per cagione de ſimili ſucceſſioni, nuoue liti, e controuerſie non naſchino, ci degnaſſimo con autorità capitolare di dichiarare è far' più chiaro queſto negotio. Noi adunque, eſſendo canonicamente (come ſ' vſa) inſieme congregati, la ſupplicatione ſopradetta inteſa hauendo; doppo hauer' ſopra di ciò frà noi lungamente trattato è maturamente diſcorſo; ancorche giudichiamo eſſer' ſuperfluo il dichiarare vna coſa, che per ſe ſteſſa è chiariſſima, e nella quale non fù mai appò noi dubio alcuno; *nondimeno, volendo con fedele dichiaratione leuar' ogni dubitatione è ſcrupolo dalla mente d' alcuni, e di quelli particolarmente, che delle leggi è degli ſtatuti noſtri cognitione non hanno; con maturo e deliberato conſiglio, di noſtra certa ſcienza, per autorità è decreto del preſente General Capitolo,* accoſtandoci alli ſtatuti, & alle conſuetudini noſtre, diciamo, definiamo, determiniamo, e dichiariamo, che'l ſopradetto Religioſo, frà Claudio San' Blaſi, ſe ben' alla Sacra Religione noſtra aſcritto, & dell' inſegne ſue ornato ſi troua, nõ per queſto riputar'ſi debbe dalla ſucceſſione, e dall' heredità de' Parenti ſuoi ributtato, & eſcluſo. Anzi per legge, e conſuetudine antichiſſima, da neſſuna contradittione violata, e frà noi oſſeruata, non può eſſergli vietato ò prohibito il poter' ſuccedere, il trattarſi come erede, ne l'acquiſtarſi l'heredità. *In ſede fermezza è teſtimonio del che la Bolla noſtra commune di piombo alle preſenti è appeſa. Dato in Malta, nel Conuento noſtro, durante il noſtro General Capitolo, à quindeci del meſe di Ottobre, dell' Anno mille cinquecento quarantatrè.*

La qual' Bolla regiſtrata ſi troua nella Cancellaria di queſta Sacra Religione in Malta, al Libro delle Bolle dell' Anno ſopradetto, à carte ventidue.

Hæc ego hactenus è Iacobo Boſio. Qui quidem ſuam eiuſmodi Hiſtoriam non ſine debita ſuperiorum facultate typis edidit Romæ, Anno Domini 1602. à me autem lecta eſt in Ambroſiana Bibliotheca.

Idem Puricellus &c.

Ego Frater Fulgentius Stella ordinis Minorum de obſeruantia Sacræ Theologiæ lector generalis in Conuentu S. Angeli Mediolani perlegi diligenter ſupraſcripta, & poſt acuratam examinationem affirmo eſſe veriſſima.

Accepi ex animi mei voto antè recenſitum reſponſum, ſingulari ſtudio, felici ingenio, ac ſtylo, à Reu. P. Io. Aloyſio Confalonerio Sac. Theologiæ Profeſſore planiſſimè digeſtum; in quo habilitatem ad Dominia, cum voto ſolemni Paupertatis Equitum Melitenſium, adeò eleganter componit, vt nihil cuivis doctiſſimo relinquat deſiderandum, quam ſuperſtitum fortè ſuffragia Theologorum.

Ego Ioannes Mineta Congreg. Somaſcha Cler. Reg. in Collegio S. Mariæ Secretæ Mediolani Sac. Theologiæ Profeſſor eidem ſententiæ ſubſcribo.

VA1 1532995